



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria et disputationes scholastica in Summam D.
Thomae Aquinatis**

Nazarius, Johannes P.

Coloniae, 1621

Qvaestio Decimaqvarta. De defectibus corporis assumptis à filio Dei, in
quatuor articulos diuisa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82325](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82325)

quod humana voluntas efficax sæpe caret effectu A
per eam intento; quod de diuina, quæ simpliciter
omnipotens est, dici nequaquam potest; cum ta-
men ambæ conueniant, ut neutra, si sit inefficax,
congrue dici valeat non posse, quod voluit, ut
ante diximus.

Tertio patet rationem à S. D. assignatam, quare
Christus cum voluerit, latere non potuerit, opti-
mam esse: ait enim ideo Christum latere non po-
tuisse, quia voluntas hæc non fuit de eo, quod per
eum sciendum erat, sed de eo, quod erat sciendum
per alios, quod non subiacebat humanæ volun-
tati ipsius: quæ vltima verba, ut congrua sint, ne-
cessario de voluntate efficaci sunt intelligenda.
Nam ea solum ratione dicimur id posse, quod
nostræ subiacet voluntati; quia cum efficaciter B
volumus, id possumus efficere vel assequi: dicun-
tur enim aliqua subiacere nostræ voluntati qua-
tenus voluntas, adhibitis medijs sufficientibus,
potest illud agere vel assequi; constat autem talia
media per solum voluntatem efficacem adhiberi;
voluntas autem inefficax, ut sic, nec adhibet nec
adhibere potest media sufficientia ad finem asse-
quendum.

Conclusio. POSTREMO sequitur conclus. negatiua directe
respondens quaesito, videlicet: *Anima Christi non
habuit omnipotentiam, quo ad ea, quæ voluit absoluta &
efficaci voluntate, ut adimplenda per alios.*

**Argumen-
ta, & solu-
tiones.** **Obi. 1.
Solut.** CONTRA conclus. argumentatur Medina: Pri-
mo: Voluntas animæ Christi est voluntas Dei: nã
actiones sunt suppositorum; Ergo semper imple-
tur, si est efficax & absoluta. *Respond.* Nullam esse
conseq. quoniam ex supposito non deriuatur
infinita perfectio aut virtus infinita simpliciter ad
humanitatem, & eius potentias; alioquin vnio fa-
cta fuisset, non in persona tantum, sed etiam in
natura: sed ex illo antecedente sequitur: Primo,
humanam voluntatem non fuisse diuine contra-
riam, sed illud tantum voluisse, quod Deo placuit
ipsam velle. Secundo sequitur, voluntatem hu-
manam ut instrumentum Dei, potuisse semper
impleri.

Obi. 2. Secundo: Christus Dominus euidenter videbat
voluntatem diuinam esse determinatam ad hoc
vel ad illud; ergo non poterat velle, nisi quod no-
uerat Deum velle: Probatur consequentia: Nam
hoc habent vniuersi beati. *Resp.* Iam ostensum es-
se in 3. notabili, quomodo humana Christi volun-
tas fuerit eius diuine voluntati conformis; & id-
eo admissio toto argumento, nihil sequitur con-
tra nostram conclusionem.

Obi. 3. Tercio: Voluntas efficax & absoluta semper im-
pletur in omnibus beatis; ergo & in Christo.
Solut. *Resp.* falsum esse antec. quoad eam voluntatem,
quæ dicitur efficax secundo modo, alioquin nul-
lus hominum damnaretur; certum est enim An-
gelum omnem custodem voluntate efficaci se-
cundo modo velle salutem hominis custodiri, cū
adhibeat omnia media secundum prudentiam
opportuna ad eius salutem, & tamen constat mul-
tos ex hominibus non saluari; & sancti continue
orant pro nobis, ut salutem à Deo consequamur
per eius gratiam & auxilia, quam ex nobis multi
sua culpa non obtinent: unde S. D. in 2. 2. q. 83. art.
11. ad 2. ait: Sancti impetrant illud, quod Deus vult fieri
per orationes eorum; & hoc petunt, quod æstimant eorum
orationibus implendum secundum Dei voluntatem. Vbi
Caictanus ait Sanctos orantes nescire, an impe-
trabunt, sed petere æstimantes hoc esse Deo pla-
citurum, & de hoc orando consulere diuinã ma-
iellatem: Atque ideo diuersos Sanctos absque
contrarietate voluntatum diuersa petere, quasi
contraria proponentes adunati ad Dei benepla-

citum; ut patet de duobus Angelis Dan. 10. quæ
non possunt intelligi, nisi de voluntate & petiti-
one Sanctorum absoluta; alioquin incongrue di-
ceret S. D. Sanctos illud petere, quod æstimant
eorum orationibus implendum; petitiõ namque
conditionata talem æstimationem non requirit,
ut patet de petitione Christi Domini dicentis,
Pater si possibile est, &c. non enim æstimabat id me-
dia hac oratione implendum à Deo fuisse, cū op-
positum à Deo fuisse prædefinitum certo sciret,
Quadam tamen ratione dici posset, quod San-
ctorum orationes semper exaudiuntur à Deo; cu-
ius explicatio ad rem præsentem minime pertinet.

Obi. 4. CONTRA eandem concl. est auctoritas August. in
lib. de quaest. noui Testamenti, q. 77. & Greg. 19. moral.
cap. 14. dicentium Christum habuisse omnipoten-
tiam respectu executionis suæ voluntatis. *Respond.* Solut.
Hos patres loqui de Christo quo ad eius diuinã
voluntatem, vel etiam quoad humanam, quate-
nus erat instrumentum diuinitatis.

QVÆSTIO DECIMA QVARTA.

De defectibus corporis assumptis à filio Dei, in quatuor ar-
ticulos diuisa.

D Einde considerandum est de defectibus, quos Christus
in humana natura assumpsit.
Et primo de defectibus corporis, secundo de defectibus
animæ.

Circa primum quaruntur quatuor.

C Primo vtrum filius Dei assumere debuerit in humana
natura corporis defectus.

Secundo, vtrum assumpsit necessitatem his defecti-
bus subiaccendi.

Tercio, vtrum hos defectus contraxerit.

Quarto, vtrum omnes huiusmodi defectus assumpsit.

Ratio ordinis.

H ACTENVS egit S. D. de perfectionibus af-
sumptæ humanitatis; nunc de defectibus ei-
usdem naturæ disputat: & primo quidem de iis
quæ ad corpus attinēt, prout ab anima saltem sen-
situa distinguuntur, & ex corpore sic accepto,
veluti ex propria causa deriuantur; ut patet ex hac
tota quaestione. Deinde quaestione proxime se-
quenti de iis defectibus agit, qui ad animam
pertinent eiusdem assumptæ humanitatis. De de-
fectibus autem corporis primo tractat indefinite
seu indistincte prioribus tribus articulis; deinde
distincte de eisdem agit in vltimo articulo. De illis
indistincte sumptis agit, primo considerando eos
absolute, siue secundum se in primo articulo. Dein-
de quo ad eorum causam, vel causas phylicas in
secundo articulo. Demum quo ad causam moralem
in 3. articulo.

ARTICVLVS I.

Vtrum filius Dei in humana natura assumere debuerit
corporis defectus.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod filius Dei nõ
debuerit assumere humanam naturam cum corpo-
ris defectibus. Sicut enim anima vnita est personaliter
Verbo Dei, ita & corpus. Sed anima Christi habuit omni-
modam perfectionem, & quantum ad gratiam, & quan-
tum ad scientiam: ut supra dictum est. Ergo etiam corpus
eius debuit esse omnibus modis perfectum, nullum in se ha-
bens defectum.

E Præterea: Anima Christi videbat Verbum Dei ea vi-
sione, qua Beati vident (ut supra dictum est) & sic anima
Christi erat beata. Sed ex beatitudine animæ glorificatur
corpus: dicit enim Augustinus in Epist. ad Dioscorum.
Tam potenti natura Deus fecit animam, ut ex eius plenif-
sima beatitudine, redundet etiam in inferiorem naturam,
quod

quod est corpus, non beatitudo, quæ fruens, & intelligens est propria, sed plenitudo sanatis, id est, incorruptionis rigor. Corpus igitur Christi fuit incorruptibile, & absque omni defectu.

Præterea: Pœna consequitur culpam, sed in Christo non fuit aliqua culpa: secundum illud prime Pet. 2. Qui peccatum non fecit: Ergo nec defectus corporales, qui sunt penales, in eo esse debuerunt.

Præterea: Nullus sapiens assumit id, quod impedit ipsum à proprio fine. Sed per huiusmodi defectus corporales, multipliciter videtur impedi finis Incarnationis. Primo quidem, quia propter huiusmodi infirmitates, homines ab eius cognitione impediuntur: secundum illud Isaie 53. Considerauimus eum despectum, & nouissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem, & quasi absconditus vultus eius, & despectus: unde nec reputauimus eum. Secundo, quia sanctorum Patrum desiderium non videtur impleri: ex quorum persona dicitur Isa. 51. Consurge, consurge, induere fortitudinem, brachium Domini. Tercio, quia congruentius per fortitudinem, quam per infirmitatem videbatur & potestas diaboli posse superari, & humana infirmitas posse sanari. Non ergo videtur conueniens fuisse, quod filius Dei humanam naturam assumpsit, cum corporalibus infirmitatibus sine defectibus.

Sed contra est, quod dicitur Hebr. 2. In eo, in quo passus est, & tentatus, potens est, & eis, qui tentantur auxiliari. Sed ad hoc venit, ut nos adiuuaret: unde, & David dicebat. Leuaui oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi. Ergo conueniens fuit, ut filius Dei carnem assumpserit, infirmitatibus humanis subiactam, ut in ea posset pati, & tentari: & sic auxilium nobis ferre.

Respondendo dicendum, conueniens fuisse, corpus assumptum à filio Dei humanis infirmitatibus, & defectibus subiaccere, & præcipue, propter tria. Primo quidem, quia ad hoc filius Dei, carne assumpta, venit in mundum, ut pro peccato humani generis satisfaceret. Vnus autem pro peccato alterius satisfacit, dum penam pro peccato alterius debitam, in se suscipit. Huiusmodi autem defectus corporales, scilicet mors, fames, sitis, & huiusmodi sunt pœna peccati, quod est in mundum per Adam introductum: secundum illud Rom. 5. Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors. Unde conueniens fuit quantum ad finem Incarnationis, quod huiusmodi penalitates in nostra natura susciperet vice nostra, secundum illud Isa. 53. Vere languores nostros ipse tulit. Secundo, propter fidem Incarnationis asruendam. Cum enim natura humana non aliter esset nota hominibus, nisi prout huiusmodi corporalibus defectibus subiaceret, si sine his defectibus filius Dei humanam naturam assumpsisset, videretur non fuisse verus homo, nec veram carnem habuisse, sed phantasticam, ut Manichæi posuerunt. Et ideo, ut dicitur Philip. 2. Exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus, ut homo. Unde, & beatus Thomas per aliquid vulnere est ad fidem reuocatus, ut dicitur Ioan. 20. Tercio, propter exemplum patientiæ, quod nobis exhibet, passionibus, & defectibus humanos fortiter tolerando. Unde dicitur Hebr. 12. Sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem, ut non fatigemini, animis vestris deficientes.

Ad primum ergo dicendum, quod satisfactio pro peccatis alterius, habet quidem quædam materiam pœnas, quas aliquis pro peccato alterius sustinet: sed pro principio habet habitum animæ, ex quo inclinatur ad volendum satisfacere pro alio, & ex quo satisfactio efficaciam habet. Non enim esset efficax satisfactio, nisi ex charitate procederet: ut infra dicitur. Et ideo oportuit animam Christi, & perfectam esse, quantum ad habitus scientiarum, & virtutum, ut haberet facultatem satisfaciendi: & quod corpus eius esset subiectum infirmitatibus, ut ei satisfactionis materia non desset.

Ad secundum dicendum, quod secundum naturalem habitudinem, quæ est inter animam, & corpus, ex gloria

animæ redundat gloria ad corpus. Sed hæc naturalis habitudo in Christo subiacebat voluntati diuinitatis ipsius, ex qua factum est, quod beatitudo remaneret in anima, & non derivaretur ad corpus, sed caro pateretur: quæ conueniunt naturæ passibili, secundum illud, quod Damasc. dicit, quod beneplacito diuine voluntatis, permutebatur carni pati, & operari quæ propria.

Ad tertium dicendum, quod pœna semper sequitur culpam actualement, vel originale: quandoque quidem eius, qui puniuntur: quandoque autem alterius, pro quo ille, qui pœnas patitur, satisfacit. Et ita accidit in Christo, secundum illud Isaie 53. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.

Ad quartum dicendum, quod infirmitas assumpta à Christo non impedit finem Incarnationis, sed maxime promouit: ut dictum est. Et quauis per huiusmodi infirmitates absconderetur eius diuinitas, manifestabatur tamen humanitas, quæ est via ad diuinitatem perueniendi: secundum illud Rom. 5. Accessum habemus per Iesum Christum ad Deum. Desiderabant autem antiqui patres in Christo, non quidem fortitudinem corporalem, sed spiritualement, per quam & diabolus vicit, & humanam infirmitatem sanauit.

Sensus quæstioni.

Quæstio sensum declarat S. D. in textu dicēs corporis defectus esse mortem, famem, sitim & huiusmodi.

Forma Textus.

CONCL. est: Conueniens fuit corpus assumptum à Filio Dei humanis infirmitatibus & defectibus subiaccere. Probatur tripliciter. Primo ex fine Incarnationis. Quia ad hoc Filius Dei carne assumpta venit in mundum, ut pro peccato humani generis satisfaceret: ergo conueniens fuit, &c. Anteced. patet ex diuini scripturis, & ex prima quæstione. Consequentia probatur: quia vnus pro peccato alterius satisfacit, dum penam pro peccato alterius debitam in se suscipit: at huiusmodi defectus corporales, scilicet mors, fames, sitis &c. sunt pœna peccati, quod est in mundum per Adam introductum: ergo si venit in mundum per pro peccato hominis satisfaceret, conueniens fuit, &c. Quod etiam confirmatur auctoritate Isaie 53. Vere languores nostros ipse tulit. Secundo probatur conclusio ex fidei susceptione: Quia, si Dei filius humanam naturam sine his defectibus assumpsisset, videretur non fuisse verus homo, nec veram carnem assumpsisset, sed phantasticam, ut Manichæi posuerunt: ergo conueniens fuit, &c. Probatur assumpta conditionalis: quia natura humana non aliter est nota hominibus, nisi prout corporalibus defectibus subiaceret: ergo si sine his defectibus, &c. Confirmatur ex dicto Apostoli ad Philip. 2. Exinaniuit semetipsum, &c. & ex facto S. Thomæ Apostoli Ioan. 20. Tercio Probatur ab exemplaritate patientiæ: Quia Filius Dei nobis exemplum præbuit patientiæ, passionibus & defectibus humanos fortiter tollerando, ergo. Antecedens probatur auctoritate Apostoli ad Hebræos 12. ut patet in textu.

Expositio Textus.

DE veritate & sensu conclusionis disputat hic vberissime aduersus hæreticos Suar. disput. 32. sect. 1.2. & 4. & Valq. disp. 59. & ante eos Med. artic. seq. quibus nihil addendum occurrit. Videnda sunt etiam, quæ scribit Suar. in Comment. circa primam rationem aduersus modernos hæreticos asserentes Christum passum fuisse pœnas purgatorij, vel etiam inferni: huius enim difficultatis proprius locus est infra q. 52. art. 4. vbi eam examinant

Tt 4

Med.

Medina & Suar. & Val. ibidem art. 1. & alij expostores. Legenda sunt etiam, quæ scribit Medina circareffonf. ad 1.

ARTICVLVS II.

Utrum Christus necessitatem his defectibus subiaceret ad assumptum.

*Infra c. 15.
a. 5. 1. & 2.
dist. 3. q. 1.
a. 2. q. 1. c. 3.
cap. 20.*

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod Christus non ex necessitate his defectibus subiaceret. Dicitur enim 1sa. 53. Oblatus est, quia ipse voluit, & loquitur de oblatione ad passionem. Sed voluntas opponitur necessitati. Ergo Christus non ex necessitate subiaceret corporalibus defectibus.

Præterea, Damasc. dicit in 3. lib. Nihil coactum in Christo consideratur, sed omnia voluntaria. Sed quod est voluntarium, non est necessarium. Ergo huiusmodi defectus non fuerunt ex necessitate in Christo.

Præterea, Necessitas inferitur ab aliquo potentiore. Sed nulla creatura est potior, quam anima Christi, ad quam pertinebat proprium corpus conseruare. Ergo huiusmodi defectus, seu infirmitates non fuerunt in Christo ex necessitate.

Sed contra est, quod Apost. dicit Rom. 8. Misit Deus filium suum in similitudinem carnis peccati: sed conditio carnis peccati est, quod habeat necessitatem moriendi, & sustinendi alias huiusmodi passiones. Ergo talis necessitas sustinendi hos defectus fuit in carne Christi.

Respondetur dicendum, quod duplex est necessitas. Vna quidem coactionis, quæ fit ab agente extrinseco. Et hæc quidem necessitas contrariatur, & naturæ, & voluntati: quorum utrumque est principium intrinsecum. Alia autem est necessitas naturalis, quæ consequitur principia naturalia, puta formam, sicut necessarium est ignem calefacere: vel materiam, sicut necessarium est corpus ex contrariis compositum dissolui. Secundum igitur hanc necessitatem, quæ consequitur materiam, corpus Christi subiectum fuit necessitati moriendi, & aliorum huiusmodi defectuum, quia, sicut dictum est, beneplacito diuina voluntati carni Christi permittitur agere, & pati quæ propria. Hæc autem necessitas causatur ex principiis carnis humane: ut dictum est. Si autem loquamur de necessitate coactionis, secundum quidem quod repugnat naturæ corporali, sic, iterum corpus Christi secundum conditionem propriæ naturæ necessitati subiaceret, & clauis perforantis, & flagelli percutientis. Secundum vero, quod necessitas talis repugnat voluntati, manifestum est, quod in Christo non fuit necessitas horum defectuum, neque per respectum ad diuinam voluntatem, neque per respectum ad voluntatem humanam Christi absolute, prout sequitur rationem deliberantem: sed solum secundum naturalem motum voluntatis, prout scilicet naturaliter refugit mortem, & etiam corporis nocumenta.

*D. 904.
Ar. pr. ad 2.*

Ad primum ergo dicendum, quod Christus dicitur oblatus, quia voluit, & voluntate diuina: & voluntate humana deliberata: licet mors esset contra naturalem motum voluntatis humane, ut Damasc. dicit.

Ad secundum patet responsio ex dictis.

Ad tertium dicendum, quod nihil fuit potentius, quam anima Christi absolute: nihil tamen prohibet aliquid suis se potentius, quantum ad hunc effectum: sicut clauis ad perforandum. Et hoc dico, secundum quod anima Christi consideratur secundum propriam naturam, & virtutem.

Sensus questus.

NECCESSITAS hic indistincte sumitur, & expectanda est distinctio S. D. in corpore.

Forma Textus.

PROPOSITA triplici distinctione responderetur questio quatuor conclusionibus.

A Prima distinctio est: Duplex est necessitas: Vna coactionis: quæ fit ab agente extrinseco. Explicatur eius ratio dicendo hanc necessitatem contrariari naturæ & voluntati. Alia naturalis: quæ consequitur principia naturalia: quæ sunt materia & forma. Declaratur exemplis: sicut quoad formam necessarium est ignem calefacere, quo ad materiam autem necessarium est corpus compositum ex contrariis corrumpi.

Secunda distinctio, quæ est subdiuisio primi membri, est: Necessitas coactionis duplicem potest habere repugnantiam, alteram ad naturam & alteram ad voluntatem.

Tertia distinctio, siue subdiuisio, est: Necessitas coactionis voluntati repugnans tripliciter intelligi potest. Primo respectu diuinæ voluntatis. Secundo respectu voluntatis humane Christi absolute, prout sequitur rationem deliberatam. Tercio respectu eiusdem voluntatis secundum naturalem motum voluntatis, prout scilicet naturaliter refugit mortem, & corporis nocumenta.

PRIMA CONCL. est: Secundum necessitatem naturalem, quæ consequitur materiam, corpus Christi subiectum fuit necessitati moriendi, & aliorum huiusmodi defectuum: probatur quia carni Christi permittitur agere & pati, quæ propria: ergo secundum necessitatem naturalem: probatur consequentia. Quia hæc necessitas causatur ex principiis carnis humane, ut dictum est.

SECUNDA CONCL. si loquamur de necessitate coactionis, secundum quod repugnat naturæ corporali, corpus Christi secundum conditionem propriæ naturæ necessitati subiaceret patiendi. Probatur: quia corpus Christi fuit clauis perforatum & flagellis percutsum.

TERTIA CONCL. Si sermo sit de necessitate coactionis, prout repugnat voluntati, non fuit in Christo necessitas horum defectuum per respectum ad voluntatem diuinam, neque per respectum ad voluntatem humanam Christi absolute, id est, prout sequitur rationem deliberantem.

VLTIMA CONCL. si loquamur de eadem necessitate per respectum ad humanam Christi voluntatem secundum naturalem eius motum, prout scilicet naturaliter refugit mortem, & etiam corporis nocumenta, fuit in Christo necessitas horum defectuum. Duas ultimas conclusiones non probat S. D. sed relinquit eas tanquam ex dictis manifestas.

Expositio Textus.

CAJETANVS hic explicat terminos vltimæ distinctionis: quibus vtitur S. D. in duabus vltimis conclusionibus: hi vero sunt voluntas deliberata, & voluntas naturalis, siue voluntas secundum motum suum naturalem. Quædam mouentur hic ab expostitoribus difficultates, quibus singularum conclusionum D. Th. veritas & sensus aperitur.

Prima difficultas est de veritate primæ conclusionis, de qua breuiter hic ait Medina in 3. ratione dubitandi, & a. 4. dubio 2. & Suar. dist. 32. sect. 2. & Valq. latissime dist. 60. querens; An Christus aliqua ex parte corporis habuerit necessitatem mortis naturalis: cuius resolutionem vide, si placet, apud dictum expostorem.

Possent hic agi de figura celli in puncto natiuitatis Christi, an eius influxu Christus inclinaretur in mortem violentam illi a ludæis illatam: Sed non est hic locus de hac materia discedendi: videant, qui voluerint, Ioan. Picum in libro aduersus Astrologos, & Sixtum Senensem lib. 6. Bibliotheca annotatione 10.

Secunda difficultas est de veritate & sensu tertię, & quartæ conclusionis: quam versat hic breuiter Med.

Medina & Suar. & Val. ibidem art. 1. & alij expostores. Legenda sunt etiam, quæ scribit Medina circareffonf. ad 1.

ARTICVLVS II.

Utrum Christus necessitatem his defectibus subiaceret ad assumptum.

Infra c. 15.
a. 5. 1. & 2.
dist. 3. q. 1.
a. 2. q. 1. c. 3.
cap. 20.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod Christus non ex necessitate his defectibus subiaceret. Dicitur enim 1sa. 53. Oblatus est, quia ipse voluit, & loquitur de oblatione ad passionem. Sed voluntas opponitur necessitati. Ergo Christus non ex necessitate subiaceret corporalibus defectibus.

Præterea, Damasc. dicit in 3. lib. Nihil coactum in Christo consideratur, sed omnia voluntaria. Sed quod est voluntarium, non est necessarium. Ergo huiusmodi defectus non fuerunt ex necessitate in Christo.

Præterea, Necessitas inferitur ab aliquo potentiore. Sed nulla creatura est potior, quam anima Christi, ad quam pertinebat proprium corpus conseruare. Ergo huiusmodi defectus, seu infirmitates non fuerunt in Christo ex necessitate.

Sed contra est, quod Apost. dicit Rom. 8. Misit Deus filium suum in similitudinem carnis peccati: sed conditio carnis peccati est, quod habeat necessitatem moriendi, & sustinendi alias huiusmodi passiones. Ergo talis necessitas sustinendi hos defectus fuit in carne Christi.

Respondeo dicendum, quod duplex est necessitas. Una quidem coactionis, quæ fit ab agente extrinseco. Et hæc quidem necessitas contrariatur, & naturæ, & voluntati: quorum utrumque est principium intrinsecum. Alia autem est necessitas naturalis, quæ consequitur principia naturalia, puta formam, sicut necessarium est ignem calefacere: vel materiam, sicut necessarium est corpus ex contrariis compositum dissolui. Secundum igitur hanc necessitatem, quæ consequitur materiam, corpus Christi subiectum fuit necessitati moriendi, & aliorum huiusmodi defectuum, quia, sicut dictum est, beneplacito diuina voluntati carni Christi permittitur agere, & pati quæ propria. Hæc autem necessitas causatur ex principiis carnis humane: ut dictum est. Si autem loquamur de necessitate coactionis, secundum quidem quod repugnat naturæ corporali, sic, iterum corpus Christi secundum conditionem propriæ naturæ necessitati subiaceret, & clauis perforantis, & flagelli percutientis. Secundum vero, quod necessitas talis repugnat voluntati, manifestum est, quod in Christo non fuit necessitas horum defectuum, neque per respectum ad diuinam voluntatem, neque per respectum ad voluntatem humanam Christi absolute, prout sequitur rationem deliberantem: sed solum secundum naturalem motum voluntatis, prout scilicet naturaliter refugit mortem, & etiam corporis nocumenta.

D. 904.
Ar. pr. ad 2.

Ad primum ergo dicendum, quod Christus dicitur oblatus, quia voluit, & voluntate diuina: & voluntate humana deliberata: licet mors esset contra naturalem motum voluntatis humane, ut Damasc. dicit.

Ad secundum patet responsio ex dictis.

Ad tertium dicendum, quod nihil fuit potentius, quam anima Christi absolute: nihil tamen prohibet aliquid suis se potentius, quantum ad hunc effectum: sicut clauis ad perforandum. Et hoc dico, secundum quod anima Christi consideratur secundum propriam naturam, & virtutem.

Sensus questus.

Necessitas hic indistincte sumitur, & expectanda est distinctio S. D. in corpore.

Forma Textus.

PROPOSITA triplici distinctione responderetur questio quatuor conclusionibus.

A Prima distinctio est: Duplex est necessitas: Una coactionis: quæ fit ab agente extrinseco. Explicatur eius ratio dicendo hanc necessitatem contrariari naturæ & voluntati. Alia naturalis: quæ consequitur principia naturalia: quæ sunt materia & forma. Declaratur exemplis: sicut quoad formam necessarium est ignem calefacere, quo ad materiam autem necessarium est corpus compositum ex contrariis corrumpi.

Secunda distinctio, quæ est subdiuisio primi membri, est: Necessitas coactionis duplicem potest habere repugnantiam, alteram ad naturam & alteram ad voluntatem.

Tertia distinctio, siue subdiuisio, est: Necessitas coactionis voluntati repugnans tripliciter intelligi potest. Primo respectu diuinæ voluntatis. Secundo respectu voluntatis humane Christi absolute, prout sequitur rationem deliberatam. Tercio respectu eiusdem voluntatis secundum naturalem motum voluntatis, prout scilicet naturaliter refugit mortem, & corporis nocumenta.

PRIMA CONCL. est: Secundum necessitatem naturalem, quæ consequitur materiam, corpus Christi subiectum fuit necessitati moriendi, & aliorum huiusmodi defectuum: probatur quia carni Christi permittitur agere & pati, quæ propria: ergo secundum necessitatem naturalem: probatur consequentia. Quia hæc necessitas causatur ex principiis carnis humane, ut dictum est.

SECUNDA CONCL. si loquamur de necessitate coactionis, secundum quod repugnat naturæ corporali, corpus Christi secundum conditionem propriæ naturæ necessitati subiaceret patiendi. Probatur: quia corpus Christi fuit clauis perforatum & flagellis percutsum.

TERTIA CONCL. Si sermo sit de necessitate coactionis, prout repugnat voluntati, non fuit in Christo necessitas horum defectuum per respectum ad voluntatem diuinam, neque per respectum ad voluntatem humanam Christi absolute, id est, prout sequitur rationem deliberantem.

VLTIMA CONCL. si loquamur de eadem necessitate per respectum ad humanam Christi voluntatem secundum naturalem eius motum, prout scilicet naturaliter refugit mortem, & etiam corporis nocumenta, fuit in Christo necessitas horum defectuum. Duas ultimas conclusiones non probat S. D. sed relinquit eas tanquam ex dictis manifestas.

Expositio Textus.

CAJETANVS hic explicat terminos vltimæ distinctionis: quibus vtitur S. D. in duabus vltimis conclusionibus: hi vero sunt voluntas deliberata, & voluntas naturalis, siue voluntas secundum motum suum naturalem. Quædam mouentur hic ab expostitoribus difficultates, quibus singularum conclusionum D. Th. veritas & sensus aperitur.

Prima difficultas est de veritate primæ conclusionis, de qua breuiter hic ait Medina in 3. ratione dubitandi, & a. 4. dubio 2. & Suar. dist. 32. sect. 2. & Valq. latissime dist. 60. querens: An Christus aliqua ex parte corporis habuerit necessitatem mortis naturalis: cuius resolutionem vide, si placet, apud dictum expostitorem.

Possent hic agi de figura celli in puncto natiuitatis Christi, an eius influxu Christus inclinaretur in mortem violentam illi a ludæis illatam: Sed non est hic locus de hac materia disserendi: videant, qui voluerint, Ioan. Picum in libro aduersus Astrologos, & Sixtum Senensem lib. 6. Bibliotheca annotatione 10.

Secunda difficultas est de veritate & sensu tertię, & quartæ conclusionis: quam versat hic breuiter Med.

Med. in prima, & secunda ratione dubitandi, Suarez. in A allegata diff. 32. sect. 3. & Valq. diff. 59. cap. 3. & 4. vide, si lubet eius definitionem apud dictos expositores.

ARTICVLVS III.

Vtrum Christus defectus corporales contraxerit.

3. d. 15. q. 1.
a. 3. & d. 21.
q. 1. a. 2. c.
Sop 3 cap.
223.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod Christus defectus corporales contraxerit. Illud enim contrahere dicimus, quod simul cum natura ex origine trahimus. Sed Christus simul cum natura humana defectus, & infirmitates corporales per suam originem traxit à matre, cuius caro huiusmodi defectibus subiacebat. Ergo videtur, quod hos defectus contraxerit.

Præterea: Id quod ex principiis nature causatur, simul cum natura trahitur, & ita contrahitur. Sed huiusmodi poenalties causantur ex principiis nature humane. Ergo eas Christus contraxit.

Præterea: Secundum huiusmodi defectus Christus alijs hominibus simulatur: ut dicitur Heb. 2. Sed alijs homines huiusmodi defectus contrahunt: ergo videtur, quod etiam Christus huiusmodi defectus contraxerit.

Sed contra est, quod huiusmodi defectus contrahuntur ex peccato: secundum illud Roman. 5. Per vnum hominem peccatum intrauit in hunc mundum, & per peccatum mors. Sed in Christo non habuit locum peccatum. Ergo huiusmodi defectus Christus non contraxit.

Respondeo dicendum, quod in Verbo contrahendi intelligitur ordo effectus ad causam: ut scilicet illud dicatur contrahi, quod simul cum sua causa ex necessitate trahitur. Causa autem mortis, & horum defectuum in humana natura est peccatum, quia per peccatum mors intrauit in hunc mundum, ut dicitur Roman. 5. Et ideo illi proprie dicuntur hos defectus contrahere, qui ex debito peccati hos defectus incurrunt. Christus autem hos defectus non habuit ex debito peccati: quia ut August. dicit exponens illud Ioan. 3. Qui de sursum venit, super omnes est, de sursum venit Christus, id est, de altitudine nature humane, quam in hunc locum habuit ante peccatum primi hominis. Accepit enim naturam humanam absque peccato, in illa puritate, in qua erat in statu innocentie: & simili modo potuisset assumere humanam naturam absque defectibus. Sic igitur, quod Christus non contraxit hos defectus, quasi ex debito peccati eos suscipiens, sed ex propria voluntate.

Ad primum ergo dicendum, quod caro Virginis concepta fuit in originali peccato: & ideo hos defectus contraxit. Sed Christus naturam ex Virgine assumpsit absque culpa. Et similiter potuisset naturam assumere absque poena: sed voluit suscipere poenam propter opus nostre redemptionis implendum: ut dictum est. Et ideo habuit huiusmodi defectus, non contrahendo, sed voluntarie assumendo.

Ad secundum dicendum, quod causa mortis, & aliorum corporalium defectuum in humana natura, est duplex. Vna quidem remota, quæ accipitur ex parte principiorum materialium humani corporis, in quantum est ex contrariis compositum, sed hæc causa impediatur per originalem iustitiam. Et ideo proxima causa mortis, & aliorum defectuum, est peccatum: per quod subtracta est originalis iustitia. Et propter hoc, quia Christus fuit sine peccato, dicitur non contraxisse huiusmodi defectus, sed voluntarie assumpsisse.

Ad tertium dicendum, quod Christus in huiusmodi defectibus, assimilatus est alijs hominibus quantum ad qualitatem defectuum, non autem quantum ad causam. Et ideo Christus non contraxit huiusmodi defectus, sicut alijs.

Sensus quaesiti.

QUOD vocabulo contrahendi significetur, explicat S. D. in textu, & Cai. in titulo.

Forma Textus.

CONCL. est: Christus non contraxit defectus corporales, sed voluntarie suscepit. Probatur: Illi proprie dicuntur hos defectus contrahere, qui ex defectu peccati hos defectus incurrunt: at Christus hos defectus non habuit ex debito peccati: ergo. Maior probatur: quia causa mortis & horum defectuum in humana natura est peccatum: ergo illi proprie dicuntur contrahere, &c. Antec. probatur ex Apost. Rom. 5. Conseq. vero probatur: quia in verbo contrahendi intelligitur ordo effectus ad causam, ut scilicet illud dicatur contrahi, quod simul cum sua causa ex necessitate trahitur. Minor vero probatur ex dicto seu discursu Augustini super illud Ioan. 3. Qui de Cælo venit, &c.

Expositio Textus.

AD intelligentiam maioris propositionis obseruanda est Ethymologia verbi contrahere: dicitur enim contrahere, quasi simul cum alio trahere: quod dupliciter intelligi potest: Vno modo, ut contrahere sit trahere simul cum alio trahente: Alio modo, ut contrahere sit trahere aliquid simul cum alio tracto ab eodem trahente. Si priori modo sumatur contrahere, sensus est, quod cum in nobis corporales defectus ex duplici causa proueniant altera per se & naturali, quæ est ipsa naturalis corporis nostri constitutio: & altera moralis vel demeritoria, veluti causa per accidens, id est remouente prohibens, quæ est peccatum, per quod priuatus est homo iustitia originali defectus iam dictos impediens: ideo illi soli proprie dicuntur hos defectus contrahere, qui ut causæ morales demeritoria simul cum causa naturali, quæ est corporis constitutio naturalis, prædictos ad se defectus trahunt, illos in suis corporibus demeritorie causantes. Si autem contrahere sumatur, ut idem sit, quod simul trahere cum alio tracto ab eodem trahente, sensus est: quod homo in sui generatione naturam accipit, & quodammodo trahit peccato primi parentis infectam, & simul cum ea tanquam propria & proxima causa defectus trahit corporales ex ea deriuatos. Priorem sensum accipit Valq. in suis notationibus ad hunc art. & fauet citantisper Cai. circa resp. ad 1. dicens causam proximam mortis, & aliorum defectuum corporalium esse peccatum, Theologice loquendo: remotam autem esse compositionem ex contrariis: sed posteriorē sensum indicant manifeste verba D. Th. dicentis in verbo contrahendi intelligi ordinem effectus ad causam, ut scilicet illud dicatur contrahi, quod simul cum sua causa ex necessitate trahitur: igitur contrahere hic idem est, quod aliquid contrahere simul cum alio tracto ab eodem trahente: qui scilicet vnum trahat, tanquam causam (intellige proximam & sufficientem alterius) sicut in proposito quilibet homo contrahit originale peccatum, ex quo, tanquam causa proxima & sufficienti prouenit mors & alij corporales defectus, ut poenæ ex culpa.

Vide etiam, quæ circa responsionem ad primum de Beata Virgine notat Medina & post eum Vasquez.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Christus omnes defectus corporales hominum assumere debuerit.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod Christus omnes defectus corporales hominum assumere debuerit. Dicit n. Sup. q. 12. a. 4. 3. & inf. 7. 15. a. 1. c. Damasc.

g. 46. a. 4. Damasc. Quod est inassumptibile, est incurabile. Sed Christus venerat omnes defectus nostros curare. Ergo omnes defectus nostros assumere debuit.

g. 1. ar. 1. Præterea: Dicitur est, quod ad hoc, quod Christus pro nobis satisfaceret, debuit habere habitus perfectissimos in anima, & defectus in corpore. Sed Christus ex parte animæ assumpsit plenitudinem omnis gratiæ. Ergo ex parte corporis debuit assumere omnes defectus.

g. 1. ar. 1. Præterea: Inter omnes defectus corporales, præcipuum locum tenet mors. Sed Christus mortem assumpsit. Ergo multo magis omnes alios defectus assumere debuit.

Sed contra est, quod contraria non possunt simul fieri in eodem. Sed quædam infirmitates sunt sibiipsis contrariæ: utpote ex contrariis principiis causata. Ergo non potuit esse, quod Christus omnes infirmitates humanas assumeret.

art. 1. q. 2. Respondeo dicendum, quod sicut dictum est, Christus defectus humanos assumpsit, ad satisfaciendum pro peccato humanæ naturæ: ad quod requirebatur, quod haberet perfectionem scientiæ, & gratiæ in anima. Illos ergo defectus Christus assumere debuit, qui consequuntur ex peccato communi totius naturæ: nec tamen repugnant perfectioni scientiæ, & gratiæ. Sic igitur non fuit convenientius, ut omnes defectus, seu infirmitates humanas assumeret. Sunt enim quidam defectus, qui repugnant perfectioni scientiæ, & gratiæ: sicut ignorantia, pronitas ad malum, & difficultas ad bonum. Quidam autem defectus sunt, qui non consequuntur communiter totam humanam naturam, propter peccatum primi Parentis, sed causantur in aliquibus hominibus ex quibusdam particularibus causis: sicut lepra, & morbus caducus, & alia huiusmodi. Qui quidem defectus quandoque causantur ex culpa hominis, puta ex inordinato victu: quandoque autem ex defectu virtutis formativæ. Quorum neutrum convenit Christo: quia, & caro eius de Spiritu sancto concepta est, qui est infinita sapientia, & virtutis, errare & deficere non potens: & ipse nihil inordinatum in regimine sue vitæ exercuit. Sunt autem tertij defectus, qui in omnibus hominibus communiter inveniuntur, ex peccato primi Parentis: sicut mors, fames, sitis, & alia huiusmodi. Et hos defectus omnes Christus suscepit, quos vocat Damasc. naturales, & indetractibiles passiones, naturales quæ idem, quia consequuntur communiter totam naturam humanam: indetractibiles autem, quia defectum scientiæ, & gratiæ non important.

Ad primum ergo dicendum, quod omnes particulares defectus hominum causantur ex corruptibilitate, & passibilitate corporis, superadditis quibusdam particularibus causis. Et ideo, cum Christus curaverit passibilitatem, & corruptibilitatem corporis nostri, per hoc, quod eam assumpsit, ex consequenti omnes alios defectus curavit.

Ad secundum dicendum, quod plenitudo omnis gratiæ, & scientiæ animæ Christi secundum se debeatur ex hoc ipso, quod erat à Verbo Dei assumpta: & ideo absolute omnem plenitudinem sapientiæ gratiæ Christus assumpsit. Sed defectus nostros dispensatiue assumpsit, ut pro peccato nostro satisfaceret, non quia ei secundum se competerebant. Et ideo non oportuit, quod omnes assumeret, sed solum illos, qui sufficiebant ad satisfaciendum pro peccato totius humanæ naturæ.

Ad tertium dicendum, quod mors in omnes homines devenit ex peccato primi Parentis: non autem quidam alij defectus, licet sint morte minores. Unde non est similis ratio.

Forma Textus.

PROPOSITA distinctione trimembri respondetur quæsitio tribus conclusionibus: ex quibus sequitur quarta directe respondens quæsitio.

Distinctio est: Quidam defectus sunt, qui repugnant perfectioni scientiæ & gratiæ: sicut ignorantia, pronitas ad malum, & difficultas ad bonum. Quidam alij defectus sunt, qui non consequuntur communiter totam humanam naturam

propter peccatum primi parentis, sed causantur in aliquibus hominibus ex aliquibus particularibus causis: sicut lepra, morbus caducus, & alia huiusmodi. Denique sunt alij defectus, qui in omnibus hominibus communiter inveniuntur ex peccato primi parentis: sicut mors, fames, sitis & alia huiusmodi.

PRIMA CONCL. Christus non debuit assumere eos defectus, qui repugnant perfectioni gratiæ & scientiæ. Probatur: quia Christus defectus assumpsit ad satisfaciendum pro peccato humanæ naturæ: ergo non debuit assumere eos defectus, qui repugnant &c. probatur consequentia: quia ad satisfaciendum requirebatur, quod haberet perfectionem scientiæ & gratiæ in anima.

SECUNDA CONCL. Non debuit Christus eos defectus assumere, qui non consequuntur communiter totam humanam naturam, sed causantur in aliquibus hominibus ex quibusdam particularibus causis. Probatur: quia tales defectus quandoque causantur ex culpa hominis, puta ex inordinato victu: quandoque autem ex defectu virtutis formativæ: ergo non debuit Christus &c. Probatur consequentia: quia neutra dictarum causarum convenit Christo: & probatur: quia & caro eius de Spiritu sancto concepta est: qui cum sit infinitæ sapientiæ & virtutis, errare & deficere non potest: & ipse Christus nihil inordinatum in regimine vitæ suæ exercuit.

TERTIA CONCL. Eos omnes defectus Christus suscepit, qui in omnibus hominibus communiter inveniuntur. Declaratur primo Conclusio ex Damasceno: qui hos defectus vocat naturales, & indetractabiles passiones, &c. Deinde probatur ex assumpto principio, videlicet: Christus defectus humanos assumpsit ad satisfaciendum pro peccato humanæ naturæ: ergo illos omnes & solos defectus assumere debuit, qui consequuntur ex peccato communi totius naturæ, nec tamen repugnant perfectioni gratiæ.

Ex his sequitur quarta conclusio, quæ directe respondetur quæsitio, videlicet: Christus non omnes defectus corporales assumere debuit.

Expositio Textus.

PLURA sunt in hoc textu, quorum declarationes breviter attingemus, aut vnde peti possint, indicabimus. Primum est distinctio quo ad primum eius membrum, cui correspondet prima conclusio. Primum enim distinctionis membrum est, esse quosdam defectus, qui repugnant perfectioni & gratiæ: sicut ignorantia, pronitas ad malum, & difficultas ad bonum: quos ait prima conclusio assumi à Christo non debuisse. Ex his enim defectibus quidam animæ soli conveniunt: ut ignorantia: quidam principaliter, seu primo animæ conveniunt: ut pronitas ad malum, & difficultas ad bonum: ut patet ex a. 2. q. sequenti: igitur impertinenter de his defectibus agit in hoc articulo de solis defectibus corporis quærit. Cui difficultas respondet Cai. Primo quod, licet S. Thom. hic de defectibus corporis tractet, doctrinam tamen hic universalem inferere de defectibus, quos non debuit Christus assumere propter pronitatem ad malum, & difficultatem ad bonum: quæ est alia lex membris humanis repugnans legimentis, secundum quam proni sunt sensus hominis in malum, & non quod volumus bonum, hoc agimus: quod autem de ignorantia admiscetur, exempli gratia positum est: Quam solutionem quo ad id, quod in ea præcipuum est, sequuntur Suarez & Vasq. qui addit S. Th. hic non meminisse ignorantiam & inclinationis ad malum, ut eas connumeraret inter defectus corporales, sed in exemplum pro

Dubitatio.

Prima Cai. responsio.

pro confirmatione propositionis, quam assumit A ad probandum conclusionem huius articuli: Quo dicendi modo videtur satisfacere obiectioni Caietani, qui prædictam reijcit solutionem, eo quod dicta vno & eodem contextu distinguat absque legitimo fundamento: dum ignorantiam, vt exemplum, pronitatem autem ad malum, & difficultatem ad bonum, tanquã vere corporales defectus affirmat hic fuisse commemorata: Ait enim Valsq. D. Th. hos omnes defectus eadem ratione, siue ad eundem finem commemorasse, scilicet in exemplum. Sed hæc solutio cum sua ratione falsa est & aduersatur literæ D. Tho. vt patet ex forma supra posita: in qua prima conclusio correspondens primo distinctionis membro de prædictis B defectibus manifeste loquitur. Deinde certum est pronitatem ad malum, & difficultatē ad bonum, non animæ soli post peccatum inesse, sed etiam corporeis membris adhærere, iuxta illud Apostoli. Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati*, &c. igitur hæc mala non solum in exemplum, sed etiam vt veri defectus corporales hic posita sunt.

2. Cai. resp. Secundo itaque respondet Cai. nomine ignorantia hic intelligi talem corporis complexionem, quæ sit ignorantia causa, quatenus tale corporis temperamentum habentes inepti sunt ad scientiam. Sed hanc etiam reijcit Cai. quia talis complexio, cum exorbitet à temperantia humanæ medietatis, inter spirituales defectus, qui humanæ Christi naturæ non congruunt, est comparanda.

3. respons. Postremo tandem respondet, ignorantiam dupliciter sumi posse. Vno modo secundum se: & ita non esse defectum corporis, sed animæ. Alio modo secundum suam causam occasionalem toti naturæ humanæ: & ita defectus est se tenens ex parte corporis: Nam hoc ipso, quod anima creatur in corpore, non recipit influxū scientiæ à superioribus, vt Angeli, qui sunt à corpore liberi: sed manet ignorantans: in cuius signum (inquit) statim, vt à corpore fuerit anima separata, scientiam recipit à superioribus infusam. Quamuis autem Christus animam à Deo receperit in corpore, non debuit tamen scientiæ defectum accipere, qui animam concomitatur ex hoc, quod sit in corpore: eo quod ab initio perfecta est infusione scientiæ beatæ & infusæ: & ideo S. D. hic ignorantiam computat inter eos corporis defectus, quos negat Christo conuenire. Sed hanc respons. impugnat Valsq. aliorum argumento: Quoniam hæc ignorantia causa communis est toti naturæ in quouis statu huius vitæ, etiam si integra sit: hic vero agit S. Thom. de defectibus naturæ humanæ post peccatū ex parte corporis, quos Christus assumpsit, non autem de defectibus communibus toti naturæ in quouis statu. Sed facile diluitur hæc obiectio: quamuis enim in tertio membro distinctionis, & in tertia conclusione illi correspondente sermo sit de solis illis defectibus corporalibus, qui conueniunt omnibus hominibus ex peccato primi parentis, quæsitum tamen siue titulus articuli ad eos solos non arctatur, & prima conclusio manifeste loquitur de defectibus scientiæ & gratiæ contrarijs, prout se tenent ex parte corporis: constat autem præcipuum defectum oppositum scientiæ se tenentem ex parte corporis esse, quem diximus ex Cai. hoc esse enim cæterorum similium homini in statu naturæ lapsæ conuenientium fundamentum. Nā si anima in hoc statu communem omni statui viatoris ignorantia causam non haberet, non posset habere ignorantiam ex originali peccato, aut etiam ex corporis temperamento prouenientem,

de qua dicitur: *Corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena cogitatio sensum multa cogitantem.*

Secundum est probatio secundæ conclusionis, quam explicat hic optime Cai.

Tertium est circa eandem probationem assummentem, multos ex illis defectibus particularibus ex inordinato victu causari. Ex quo dicto sumunt hic recentiores occasionem querendi: An in Christo fuerit aliquis morbus, puta febris, catarrus, & alij similes? quam difficultatem tractat hic erudite Med. & post eum Suar. & Valsq. super hoc art. qui sententiam suam exprimens ait: Si verum est, quod plerique Medicorum affirmant, non posse accidere mortem naturalem ex sola senectute sine febre, aut aliqua putrefactione, dicendum est Christum assumpsisse necessitatem incidendi in morbum aliquem, sicut etiam assumpsit necessitatem moriendi ex senectute: sed quoniam indecens est hoc de Christo sentire, dicendum est Medicorum sententiam intelligendam esse de hominibus peccatoribus: quorum nullus (sine speciali Dei dono) regulam exacte seruat temperantiæ, aut à cæteris cauet morborum causis: Christus autem vt plenus gratia & virtutibus ad eam consequentibus, & speciali suffultus Dei prouidentia, causas omnes morborum facile potuit euitare: atque ideo, si vsq; ad extremam senectutem vitam produxisset, & morte naturali decessisset, nullo prorsus vnquam morbo, nec etiam in termino vitæ, laborasset.

Quartum est circa eandem probationem, quatenus assumit quosdam ex illis defectibus oriri ex defectu virtutis formatiue, quærent expositores: An Christus defectum assumpsit pulchritudinis: an vero fuerit omnium hominum formosissimus? Cui quæsitio satisfaciunt optime Med. dubitatione tertia, Suar. disp. 32 sect. 2. & Valsq. in 1. par. expositione in fine.

Ultimum est circa probationem tertiæ conclusionis, quam explicat hic breuiter Cai. §. vbi nota. Vide etiam quæ scribit Caiet. circa respons. ad 1. arg. D. Thom.

QVÆSTIO QVINTADECIMA.

De defectibus animæ, à Christo assumptis, in decem articulis diuisa.

Deinde considerandum est de defectibus permittentibus ad animam.

Et circa hoc queruntur decem.

Primo, vtum in Christo fuerit peccatum.

Secundo, vtum in eo fuerit fomes peccati.

Tertio, vtum in eo fuerit ignorantia.

Quarto, vtum anima eius fuerit passibilis.

Quinto, vtum in eo fuerit dolor sensibilis.

Sexto, vtum in eo fuerit tristitia.

Septimo, vtum in eo fuerit timor.

Octauo, vtum in eo fuerit admiratio.

Nono, vtum in eo fuerit ira.

Decimo, vtum simul fuerit viator, & comprehensor.

Ratio ordinis.

DISPUTAT in hac qu. S. D. in primis nouem articulis de defectibus animæ: deinde difficultatem in ultimo articulo proponit ex præcedentibus emergentem: An scilicet Christus, cui vt viatori conueniunt aliqui defectus animæ, fuerit simul secundū eandē animam cōprehensor? Ex defectibus autem animæ quidam pertinent ad partem eius superiorem: quæ distinguitur in intellectum & voluntatem: quidam autem ad inferiorem: quæ distinguitur in sensum & appetitū: agit Primo S. D. de defectibus pertinentibus ad partē animæ supe-

Obiectio
Valsq. 2. y.

Solutio.